MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81127-8

AUTHOR:

CAEMMERER, BRUNO

TITLE:

DE DUPLICI RECENSIONE

PLACE:

ARNSTADTIAE

DATE:

1876

Master Negative #

92-81127-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ae5 Caemmerer, Bruno. 1848-
DZ De duplici recensione orationis; Aeschineae contra Ctesiphontem habitae. Arnstadtiae 1876. Nar. O. 33 p.
Doctor's dissertation at Jena (Ger.) university.

63919

No. 1 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-1-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0 10

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De duplici recensione orationis

Contents.

1. Caemmerer, Bruno. De duplici recensione orationis. 1876.

2. Finsterwalder, Carl. De conjunctivi et optativi in enuntiatis secundariis usu Aeschineo. 1878.

3. Ortner, Heinrich. Kritische untersuchungen Aeschines' reden. 1886.

4. Pabst, Paulus. De additamentis quae in Aeschinis orationibus inveniuntur. 1880.

DE DUPLICI RECENSIONE ORATIONIS AESCHINEAE CONTRA CTESIPHONTEM HABITAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM JENENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BRUNO CAEMMERER.

HOLZSUSSRENSIS.

ARNSTADTIAE MDCCCLXXVI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA FROTSCHERIANA.

Post cladem illam Chaeronensem Demosthenes quamquam saepissime ab adversariis accusatus, nunquam tamen non absolutus e judicio discessit, ut ejus inimici, qui a partibus Philippi, regis Macedonum, stabant, intellegerent hominem summo honore et summa gratia populi florentem a republica gerenda non posse rejici. Quibus ex inimicis gravissimus et acerbissimus fuit Aeschines, qui nihil Demosthenici habuit, nisi quod ingenio et vi dicendi et ipse excellebat. Is igitur cum non patriae, non veritatis amore incensus, ut Demosthenes, sed invidia ductus dudum opportunius Demosthenem accusandi tempus exspectasset et summopere contendisset, ut adversarium dignitate illa gratiaque privaret, qua non solum apud cives, sed apud Graecos omnes florentem videbat, tandem aptam ad consilium exsequendum occasionem sibi visus est reperisse. Nimirum Ctesiphon populi scitum fecerat, nullis a Demosthene rationibus relatis (quamquam munere perfunctus erat), ut corona aurea donaretur eaque coronatio fieret in theatro coram populo universo — cum esset lex Athenis, ut ii, qui a populo donarentur, in contione donarentur, qui a senatu, in senatu, et altera lex, ne quis decretum faceret, ut quisquam coronaretur in magistratu ante rationes relatas — atque ita praedicaretur, eum coronari virtutis causa benevolentiaeque, quam is erga populum Atheniensem haberet (ann. 1). Ctesiphontem igitur in judicium adduxit Aeschines, quod contra leges scitum fecisset, et quod de virtute et benevolentia Demosthenis falsa scripsisset, Ctesiphontem quidem accusans, re vera autem petens Demosthenem. Quibus rebus homo tam callidus quam pravus

(1) cf. Ciceron. de opt. gen. or. 7, 19, ed. Jahn.

persuasum habuit fore ut ipse e causa in judicium deducta superior discederet. Nec mirum tale quid sperasse Aeschinem: nam, et causa ejus quod attinet ad leges firmior erat, et ipse haud nescius judicium hoc fore de adversarii fama et existimatione et publica et privata, omnia investigaverat et conquisiverat, quae a Demosthene, qui quasi *συνήγορος* successit Ctesiphonti, in causa dicenda prolatum iri ei viderentur. Neque vero negari potest etiam permulta inesse in oratione Aeschinis, quae ab eo apud judices non dicta esse pro certo habeas. Quod quomodo explicandum sit, nunc paulo accuratius, si placet, perscrutemur.

Atque spectat quidem quaestio, ut vulgari modo dicamus, ad duplicem recensionem Aeschineae orationis contra Ctesiphontem habitae; est igitur quaerendum, num Aeschines hanc quam diximus orationem audita et cognita Demosthenis oratione pro Ctesiphonte sive de corona videatur retractasse.

Ac primum quidem ordiundum est ab accurata inter utramque orationem comparatione, unde multum fructus ad quaestionem nostram dijudicandam redundaturum esse videbimus.

In exordio orationis, quod usque ad paragraphum octavam pertinet, queritur Aeschines de more quodam malo, qui in judicia receptus sit. Per eos enim, qui deliberationibus praesint, fieri, ut non legum et consuetudinis ratio habeatur, sed summo cum arbitrio de gravissimis rebus deliberetur et decernatur. Quae licentia ne latius diffundatur nullum aliud remedium inveniri quam violatarum legum actiones („*αἱ τῶν παρανόμων γραφαί*"): quibus legibus neglectis libertatem populi et civitatis salutem interituras esse affirmat. Quod ut clarius etiam appareat, exponit quae sit communis salus et quod discrimen inter populi imperium et paucorum aut unius dominationem intersit. Hanc adversarii rationem cum hic tum per totam fere orationem exstantem acriter perstringit Demosthenes (de cor. §. 292): Aeschinem speciem defensoris legum violatarum et imperii populi prae se ferre, quem inanem praetextum quasi prosternit.

Deinde, ut accedamus ad argumentationem, in prima parte (§§. 9—31) Aeschines copiosius ostendit per leges illicitum esse coronari eum, qui sit in magistratu necdum rationes retulerit (ann. 2). Has leges Ctesiphontem aperte violasse. Quamquam enim Demostheni rationes referendae fuerint, qui functus sit duobus muneribus — erat autem praefectus muris reficiendis (ann. 3) et theorico (ann. 4) quod munus quanti momenti fuerit inter omnes constat (5) — tamen reum rogasse, ut iste corona donaretur. Deinde ea, quae ab adversariis haud dubie contradictum iri praevidebat, Demostheni, quod non in magistratu esset, sed procurationi cuidam praefectus, rationes non referendas fuisse, refutaturus eum magistratum gessisse demonstrat. Nec minus valere, quod ille de suo civitati donavisset. Ad haec respondet Demosthenes (§§. 110—119), adversarium non dubitasse summa infimis miscere et res male confundere, se vero quam clarissime dicturum esse. Negat Ctesiphontem, quod rationibus nondum relatis ipsum censuerit coronandum, leges contempsisse: rationibus reddendis per totam vitam sese fuisse obnoxium, voluntarias impensas ex suis civitati factas ad examen vocari non posse (6). Habes apertam et claram responsionem ad illum „*ἄφυκτον λόγον*", quem dicit Aeschines (7). Neque enim largitionis ratio reddenda erat, sed recte ostendit Aeschines ab omni ratione reddenda adversarium non vacasse.

---

(2) Aesch. l. c § 11 *νομοθέτης τίθησι νόμον-τὸν διαῤῥήδην ἀπαγορεύοντα τοὺς ὑπευθύνους μὴ στεφανοῦν*. cf. §§. 18 sqq. 31. 203. cfr. Boeckh. de oecon. civit. Athen. I 264 et C. Fr. Hermannum, de jure et auctoritate magistratuum, pg. 40 sqq.

(3) Aesch. §§. 17. 236. Dem. §§. 113 cf. id. 248, 299, quae paragraphus maxime spectat ad ea quae Aeschines §. 236 dicit. cf. A. Schaeferum in libro egregio, quem inscripsit „Demosthenes ejusque aequales", III 73 sqq.

(4) Dem. §§. 55, 113.

(5) cf. Boeckh. l. c. I 250. Schaefer. l. c. III 75 sqq. Aesch. 3 §. 25.

(6) cf. Aeschin. §. 17. Dem. §. 118. Schaefer. III 74, ann. 2.

(7) l. c. cf. A. Weidnerum in orationis Aeschineae editione §. 17 cum annot. et quae adnotat Westermannus in orat. Demosth. edit. ad §§. 112, 119.

Altera argumentationis parte (§§. 32—48) accusator probare studet contra leges esse, quod Ctesiphon rogaverit, ut in theatro Demosthenes coronaretur ibique coronatio praedicaretur, et legem affert jubentem renuntiationem coronae a populo donatae in contione fieri, a senatu donatae in senatu, cui legi egregiae repugnare illius rogationem. Deinde refutat ea, quae adversarios contra disputaturos esse conjicit, duas esse de renuntiationibus leges, quarum alteram vetare, coronae renuntiationem a populo donatae in contione fieri, alteram, legem Dionysiacam, permittere, ut in theatro illa praedicatio fiat populi scito facto. Hanc duplicem rationem refutaturus primum dicit, si adversariorum causae verae essent, duas exstare inter se discrepantes leges: hoc vero fieri non posse; deinde legem Dionysiacam exponit, quae, si Aeschini credis, permittebat, ut coronae ab exteris civitatibus decretae (8) in theatro renuntiarentur, videlicet si populi scitum antecesserat. Respondet Demosthenes ad hanc partem brevissime (§. 120 sq.), coronae praedicationem in theatro legibus non vetari (cf. §. 83): hanc enim antea quoque saepius factam esse, ac se ipsum nonnunquam corona donatum, nec sua, sed civium causa hoc fieri, qui ad egregia facta et ipsi inflammentur (§. 120. cf. Aesch. §. 177 sqq.). Tum legem quam commemoravimus Dionysiacam ab accusatore copiose tractatam explicatamque recitari jubet, quam ab illo decurtatam et mutilatam dicit. Ita de interpretatione hujus legis maxima dissensio oritur, cum Demosthenes prorsus aliena ab Aeschine contendat atque contraria, et alter alteri objiciat eum leges non integras, sed ad arbitrium mutilatas falsoque explicatas afferre (9).

Jam Aeschines ad tertium argumentationis locum tran-

(8) „ξενικοὶ στέφανοι“. cf. §. 230.

(9) Aeschines veritatem secutus dixisse videtur Spengelio, Act. Acad. Bav. X, pg. 29 sqq.; ceteri, nisi fallor, omnes, imprimis Frankius in Jahn. anral. XXII, 378 sqq., Westermannus l. c. ad §. 121, Schaeferus, l. c. III, 214 ann. 2 et 262 ab illo dissentiunt; denique hanc rem tractavit G. Roemheldtius, Quaestt. de Aeschin. orat. contra Ctesiph., Marburg. 1869, pg. 25 sqq., cui prorsus assentior.

sit, quo non minus animos judicum capere studet quam legibus allatis explicatisque, in quibus priores orationis partes positas esse vidimus. Reum enim etiam propterea Demosthenem coronandum censuisse, quod semper rei publicae optime consuluerit ac totum se dederit, sed hunc tanto honore indignum esse propter vitam et res gestas (§§. 49—167).

Primum de privata vita (§§. 51—53. cf. §§. 171—176) adversarii dicit res quasdam vere factas in judicum memoriam redigens — de Demomele, Kephisodoto, Midia —, alia aut ficta aut detorta afferens, eo consilio, ut ostendat prae ceteris etiam ex privata vita turpiter gesta concludendum esse, Demosthenem non melius versatum esse in re publica. Ad quae respondet Demosthenes (§. 10 sq. cf. §. 8 init.) uno ictu, ut ita dicam, prosternens verba adversarii, quae ad rem minime pertineant (10), ac suo jure quidem: nam Aeschines hic non magis accusat, quam maledicit et calumniatur (11). Esse autem malitiam ejus in hac contentione ubique conspicuam (§§. 12—17.) Attamen sese velle singulas calumnias examinare examinatasque dijudicare et refutare.

Deinde ut Demosthenem pessime rem publicam gessisse probet, servato rerum ordine quattuor tempora distinguit (§§. 54—57). Ac primo tempore, cum anno 346. de pace cum Philippo facienda ageretur, Demosthenem hanc pessime fecisse cum Philocrate Hagnusio, quin etiam eundem legatis Philippi tum turpiter blanditum esse (§§. 57—75). Contra Demosthenes exponit pacem, quam dicunt, Philocratis non sua rogatione decretam esse ab Atheniensibus, sed Aristodemo suasore, auctoribus Philocrate et Aeschine, ejus amico (§§. 18—24) (12). Haec in

(10) Est illud „ἔξω τῆς γραφῆς κατηγορεῖν“ §§. 8, 33.

(11) cf. Ciceron. orat. pro Caelio 3, 6.

(12) Amicitiam Philocratis et Demosthenis Aeschinem maligne finxisse satis probant Schaefer. II 180 sqq., Westerm. ad Dom. 18, §. 21. Quid, quod Aeschines ipse in oratione contra Timarchum habita (§. 174) aperte dicit, se cum Philocrate pacem (Philippi regis causa) fecisse?

universum dicta sunto. Quod ad singula attinet, pauca addamus. Cum Aeschines usus similitudine de rationibus acceptorum et expensorum (§§. 59-61) opinionem quam de Demosthene Athenienses haberent mutandam diceret atque id ageret, ut deleret ejus merita et ostenderet, eum vel maxime cum Graeciae universae tum rei publicae Atheniensium nocuisse, Demosthenes (§§. 227-232) similitudine illa in suam rem immutata hoc modo respondet. More sophistarum, inquit, adversarius de rebus a me gestis cum nunc bene judicetis, auditis ejus argumentis, bonam de me conceptam existimationem vos jubet abjicere, velut, si pecuniae administratorem bene munere functum esse putaveritis, postea computatione de pecunia publica facta vos errasse intellexeritis, sententiam antea de illo conceptam immutabitis. Porro ad columnias ista, quae §§. 60 sqq. (cf. §. 76) leguntur, respondet Demosthenes: Tantum abest, ut Philippo ejusque legatis blanditus sim, ut justo honore eos affecerim (§. 28. cf. 284. 294).

Deinde Aeschines de secundo tempore vitae publicae Demosthenis (§§. 76-105) disputat. Hunc mente mutata et Philocratem deseruisse (§§. 79-83) et solvisse pacem, hinc bellum et turbas maximas ortas esse, Philippum Phocensium oppida (cf. Dem. §§. 32 42) delevisse Thebanosque sibi amicos reddidisse, id quod Atheniensibus summo damno et detrimento fuerit (§. 82 sq. Dem. §. 36). Quod vero Euboeensium cum Athenis foedus sua opera factum esse contendat, mendacium esse, immo turpissimum in Euboicis rebus se praebuisse pecunia a Callia Chalcidensi corruptum (§§. 85-105. cf. §. 237). Contra Demosthenes ostendit pacem Philocrateam non a se ruptam esse, sed psephisma scriptum, ut legati quam celerrime Philippum adirent de pace jurejurando confirmanda, legatorum vero (in quibus Aeschines) et incuria et proditione factum esse, ut oppida Thraciae nonnulla inter pacem (13) a Philippo expugnarentur. Pergit orator copiosius explicare debellationis interitusque Phocensium (§§. 32—42. Aesch. §. 80) auctorem fuisse eundem Aeschinem, qui eos nefarie prodiderit. Adde quod Athenienses odium Thebanorum Thessalorumque, Philippus eorum gratiam sibi consciverunt, donec sero viderent se a Philippo deceptos credulitatemque suam causam malorum gravissimorum factam esse. Ac quod gravissimum est, conqueritur ista accidisse Aeschines (Dem. l. c. §. 41. cf. Aesch. l. c. §§. 133. 156 sq.), mala fraude et fallacia omnium malorum auctor. Athenienses vero statu tristi Graeciae proditorum multitudine deceptae coactos esse servare istam pacem Philippo magis magisque opes augente (§§. 43-53): inter hos proditores imprimis fuisse Aeschinem pecunia Philippi corruptum (§§. 50, 55 sq. cf. §. 82. Aesch. §. 218). Deinde splendide exponit in communi proditione et in discidiis civitatum Graecarum regem Macedonum Graeciae incolumitatem magis magisque evertere studuisse et jamjam Athenas ipsas petere. Ita cum probasset non suas rogationes, sed Philippi dominandi cupiditatem fuisse causam pacis ruptae, ad res externas et ad potiora facta sua transit. Ac primum de liberatione Euboeae insulae dicit. Philippus hanc quoque insulam sub potestatem suam redacturus, unde vexaret Athenas, cum tyrannos imposuisset Eretriae Clitarchum, Philistiden Oreo (14), Demosthenis orationibus excitati Athenienses expeditione in Euboeam facta eos expulerunt (§§. 73—87). Itaque Philippus ut alio modo noceret Atheniensibus, profectus cum exercitu in eas regiones, unde frumentum in Atticam importabatur, Byzantium adortus est. Quo facto Athenienses Demosthene suasore et Byzantiis et Chersonesiis auxilium tulerunt (§§. 87—95. cf. §. 71) generose obliti injuriarum ab illis acceptarum, de quibus contumeliose adversarius dixerat (Aesch. l. c. §§. 85—89. Dem. l. c. §§. 96—101). Denique quae Aeschines questus erat de iniqua portione sumtuum, cum Euboeensibus — Byzantios omisit, qua de re infra dicemus — et Thebanis auxilium ferretur, (§§. 91—94, 143. cf. §. 238) paucis verbis refutantur (§. 66):

(13) §§. 25—32 init. cf. §. 69. §. 70. cum ann. Westermanni; bene ut solet, Schaeferus, l. c. I 163.

(14) cf. Westermanni ann. ad §. 71.

etiam in tali tempore populum Atheniensem in gloriae studium et utilitatem totius Graeciae intentum fuisse.

Sequitur tertium temporis spatium. Ac primum Aeschines bellum Amphictyonicum contra Locros Amphissenses gestum uberrime narrat. Hos legem suasisse Amphictyonibus de Atheniensibus propter aureos clipeos in novo Apollinis templo (15) suspensos mulctandis, quin etiam inde expellendis, quibus verbis se pylagoram summa ira incensum surrexisse et Amphictyonibus monstrasse agrum Cirrhaeum a Locris cultum, quamquam olim gravissima exsecratione devotum deoque Delphico consecratum; Amphictyonas agrum illum devastasse, sed redeuntes a Locris esse fugatos: hoc illius belli initium esse. Demosthenis vero rogationibus, quem nefarii isti homines pecunia corruperint (cf. §. 237), Athenienses prohibitos esse, quominus bello interessent, Thebanos autem summam rerum jacturam perpessos domi mansisse (§§. 107—131). Contra Demosthenes primum negat Locros istam legem suasisse, immo totam illam narrationem male ab Aeschine excogitatam esse et fictam et veritatem cum studio sequens (16) probat hunc a Philippo corruptum Amphictyonas commovisse, ut illam regionem devastarent atque inde bellum exortum esse; denique Philippo imperium mandatum esse, quo celerius illi debellarentur. Itaque Aeschines cum hujus belli auctorem fuisse tum hosti patriae viam qua in Graeciam irrumperet Elateamque occuparet aperuisse et patefecisse (§§. 141—160). Tum Aeschines copiose demonstraturus (§§. 132—152) auctorem foederis cum Thebanis icti non esse Demosthenem, ait antea fuisse, qui reipublicae gerendae peritissimi Thebanis illud foedus suaserint, sed frustra. Nunc etiamsi Thebani animos mutarunt — liceat enim paulisper oratoris personam agere — non tam illius vi dicendi quam periculi a Philippo instantis magnitudine

(15) cf. Weidneri ann. ad Aesch. §. 116. v. *ἀνέθηκε.*

(16) cf. Dissenium in edit. or. de cor. pg. 313 sq. et Schaeferum l. c. II, 499 sqq.

summoque timore percussi foedus inire coacti sunt (§. 140 sq. cf. §§. 237, 239). Tantum igitur abest, ut ille hac in re bene de republica meritus sit, ut in vos, cives, vehementer peccaverit: primum quod vobis persuasit, ut turpes foederis condiciones acciperetis rerum necessitate non coacti, cum Philippus bellum Thebanis inferret, non vobis; deinde rempublicam propterea funditus evertit, quod „*τὸ βουλευτήριον τὸ τῆς πόλεως καὶ τὴν δημοκρατίαν μετήνεγκεν εἰς τὴν Καδμείαν* (17), *τὴν κοινωνίαν τῶν πράξεων τοῖς Βοιωτάρχαις συνθέμενος*“ et decem milia mercenariorum (Locris Amphissensibus elocata) perdidit. Pergit enarrare foedere icto Philippum pacem facere voluisse et boeotarchas et ipsos ad pacem inclinasse, sed acerrime obstitisse Demosthenem: quare Thebanos, ne libertatem Graeciae prodere viderentur, bellum parasse.

His prorsus contraria et dissimilia dicit Demosthenes: se suasore illud foedus, quo solo summum periculum Elatea capta imminens averti potuerit, a populo decretum esse. Aeschinem quidem etiam hoc foedus improbare re infeliciter gesta, sed ne nunc quidem improbandum esse; nam tunc etiamsi cives futura mala praevidissent et divinassent, tamen ineundum fuisse urbi nunquam non dimicanti pro utilitate, pro principatu, pro libertate Graecorum. Tum vero breviter refutatis iis, quae Aeschines (§. 141 cf. §. 194) dixerat de causis foederis icti: „*ὁ δ' εἰσάγων ἦν ὑμᾶς εἰς τὰς Θήβας καιρὸς καὶ φόβος καὶ χρεία συμμαχίας, ἀλλ' οὐ Δημοσθένης*“ (cf. §§. 137, 239) et quae (§. 143) calumniatus erat ille, suadente Demosthene cives multum de jure suo remisisse Thebanis, his, inquam, breviter refutatis exponit foederis condiciones a Thebanis acceptas et bellum ab utrisque initio tam feliciter contra Macedones gestum esse, ut maxima laetitia ac gloria ad urbem redundaverit atque ipse ob haec merita corona publice coronatus sit (§§. 161—227. cf. §§. 238. 240. 244). — Denique Aeschines contenderat (§§. 152—158. cf. id. §. 133), rebus a Demosthene

(17) Verba *εἰς Θήβας*, quae in libris leguntur, jure delenda videntur Cobeto. cf. Weidner. ad §. 145.

gestis factum esse, ut Philippus e certamine superior discederet Atheniensibus eorumque sociis pugna Chaeronensi devictis. Qua in pugna, inquit, idem summam ignaviam declaravit (§§. 152, 155. cf. §§. 148, 159, 187, 244), neque vero dubitavit virtutem eorum praedicare, quibus ipse perniciem interitumque paraverat. Quibus animis, cives, orbos ac viduas virorum illic occisorum fore putatis, si Demosthenes, tantorum malorum auctor, in theatro corona donetur? Quibus animis cum Graecos omnes tum Thebanos ab eodem homine summis malis afflictos? Demosthenes vero ostendit se pro parte virili contendisse, ut Athenienses victoriam reportarent, quam plurimis sociis et auxiliis et pecuniae subsidiis comparatis, denique se praestitisse quidquid ab oratore exspectari potuerit, ducem nunquam se fuisse: quibus verbis simul ea refutat (§§. 245, 247 sq., 262, 301 sqq.) (18), quae adversarius de ignavia mentitus est. Tum vero pergit post rem ad Chaeroneam infeliciter gestam ab hominibus Macedonicarum partium studiosis sese fere quotidie esse accusatum, sed absolutum a judicibus e judicio discessisse (§§. 228—251.): se igitur non minus bonum civem esse quam Cephalum illum, civem nunquam accusatum, quem Aeschines valde laudaverit (§. 251. Aesch. l. c. §. 194) (19). Quid, quod breviter quidem, sed egregie ea quoque refellit, quae actor (§. 152) de laudatione civium funesto illo bello occisorum calumniatus est? Ait ipsum populum ratione talium calumniarum non habita sibi, non inimicis illam laudationem cognatosque bello caesorum epulas funebres mandavisse (§§. 286—290). (20). Nimirum Athenienses ipsi non ignorabant et re vera ostendebant, quanti Demosthenem haberent prae ceteris patriae amantem. Qualem cum se semper praebuisset, convicia in suum erga patriam amorem facta facile regerit in actorem, quippe qui hostis esset patriae (cf. Aesch. l. c. §§. 61. 76 sq. Dem. §§. 291—296. 51.). Praeterea cum dixisset Aeschines cladem

(18) cf. Schaefer. III, 32 cum ann.

(19) cf. Dissen. et Westerm. ad Dem. de cor. §. 251.

(20) cf. Schaefer. III, 33. sq.

illam acceptam esse infausta fortuna adversarii omnes res ab eo vel publice vel privatim gestas insecuta (§. 157. sq. cf. §. 114.), hic diserte de fortuna exponit (§§. 252—275. cf. §. 212.) distinguens publicam fortunam Athenarum et totius orbis terrarum, ut ipse dicit, a sua privata ac suam fortunam fortunae miserabili actoris opponens.

Quartum denique spatium (§§. 159—167.) ad Alexandri tempora pertinet, de quo infra dicemus.

Jam Aeschines refutaturus ea, quibus rei defensionem nixurum esse confidenter sperat, primum quaerere instituit, quae virtutes sint hominis popularis, simulque redit oratio ad rem supra (§§. 51—53) tractatam, privatam dico vitam Demosthenis, quae hic repetitur et amplificatur. Popularem esse vult parentibus liberis natum, rei publicae ante omnia deditum, praeditum vigore mentis et ingenii robore, insignem morum integritate et splendida eloquentia: quae tamen in adversarium non quadrare, qui sit matre barbara natus, malo ingenio et pravis moribus, mala ratione vivendi, denique turpissima ignavia (§§. 168—176). Ad haec haud inepte respondet Demosthenes (§. 122) (21) adversarium exposuisse, quem qualemque popularem virum esse vellet, velut si statuam faciendam locasset ex pacto, sed talem non recepisset qualem locaverat, id est, finxit sibi actor virum popularem qualem esse vult et damnat eum, qui talis non est. Porro Demosthenes cum paucis (§. 10. sq.) egregie, ut supra docuimus, calumnias adversarii de sua privata vita factas refutarit, quod ad istius privatam condicionem attinet enarrat (§§. 126—140. cf. §§. 18 sqq. 123 sq. 152), Aeschinem humillimo loco natum in pueritia muneribus servilibus occupatum, adultum furtim rem publicam capessivisse et hostilem in patriam animum ubique prodidisse exemplis Antiphontis, Pythonis, Anaxini satis probatum (22).

(21) cf. Rauchensteinium, Animadv. in orationem de cor. pg. 25, Arov. 1834.

(22) cf. Aeschin. §§. 223 sqq. et quae infra de his dicemus. Schaefer. l. c. II, 462.

Pergit Aeschines exponere adversarium etiam propterea corona indignum esse, quod cum veteribus modestia, honestas, virtus ejus nullo modo comparari possit; majores, qui res maximas gesserint, Miltiadem, Themistoclem, Aristidem, tantis honoribus non esse affectos, quantos ille postulet (§§. 177—189. cf. 257—259). Respondet Demosthenes (§. 120) ad haec brevissime etiam antea praedicationes permultas factas esse, coronam dari non in honorem ejus, qui coronetur, sed ut spectantes ad aemulationem incitentur et inflammentur. Adde paragraphum ducentesimam nonam, ubi dicit ab adversario majorum facinora et virtutes laudatas esse, sed sese nihil egisse his indignum: quare etiam hujus rei ratione habita se coronae honore privari non posse. Tertio qui huc pertinet loco (dico §§. 314—319) negat se cum majoribus comparandum esse, sed cum aequalibus, neque propter majorum res gestas parvi esse habendam praesentem aetatem, qua ipse rem publicam modo illis simili administraverit (23).

Admonuerat etiam actor judices, ne se decipi paterentur artibus eloquentiae Demosthenicae fallacis et legibus contrariae: nam Ctesiphontem non ipsum se defensurum esse, sed Demosthenem in auxilium vocaturum; quem si mallent audire, caverent viderentque ne contraria defensionis via inita orationem ad arbitrium adornaret (§§. 198—214. cf. §§. 16, 167, 176) (24). Haec Demosthenes egregie in exordio orationis refellit, ubi judices rogat, ut audiant aequo animo et patiantur orationem uti velit adornare. Crimina autem et convicia in eloquentiam suam ac vim dicendi jacta (Aesch. l. c. §§. 206 sqq. cf. 16, 142, 174, 193, 200, 202, 215, 253) hoc modo profligat. Si quid in me, inquit, eloquentiae inest, quae sentio quam sit exigua,

(23) Simili ratione Demosthenes utitur in oratione contra Aristocratem conscripta §§. 196—203. De sententia cf. Tacit. annal III, 55.

(24) Talem rationem a nostra consuetudine prorsus diversam in more usuque judiciorum Atticorum positam fuisse ostendit Aeschinis oratio contra Timarch. (§. 176.), ostendunt alii loci; Roemheldt. pg. 57 sq.

equidem ea ad utilitatem patriae per totam vitam usus sum. Quid vero Aeschines? Nonne cum eloquentia sua cives maximis incommodis afflixisset, rem eo perduxit, ut civitas nostra in summo discrimine versetur? (Dem. l. c. §§. 276—284. cf. §. 252 extr.)

Porro Aeschines ut convicia Demosthenis de taciturnitate sua antea refellat, multis verbis exponit (§§. 215—229) hunc non dicere apud populum nisi utilitatis causa; tacere enim pecunia corruptum, loqui pecunia consumpta; se vero malle privatam et otiosam vitam agere nec loqui nisi tempore suo: quare non prius se prodiisse quam Demosthenes jam fundamenta rei publicae everteret. Sed de hoc loco infra nobis uberius exponendum erit; hic ea attulisse sufficiat, quae ex Demosthenica oratione huc spectant. Ad ea, quae Aeschines (§. 222.) de lege trierarchica Demosthenis calumniatus est, respondens hic probat (§§. 102—109) rerum navalium statum lege illa a se lata emendatum esse, et §. 312. addit Aeschinem largitione divitum corruptum quibusdam annis exactis nonnulla mutasse in illa lege, immo eam depravasse: quibus verbis simul refellit calumniam istam, se ipsum symmoriarum ducum pecunia— qui sunt intellegendi illi „divites“ — corruptum legem suam mutasse (25). Insidiosa et fraudulenta taciturnitas actoris commemoratur §§. 308. sqq., qui rarissime apud populum orationes habeat, nec prius, quam civitati nocere atque in viros honestos patriaeque amantes invehi possit. Quid, quod verba ista quae apud Aeschinem legis (§. 218.) prorsus similiter repetuntur a Demosthene? cf. §. 82. Tum ad ea quae actor locutus erat, fore ut corona Demostheni data Athenienses ridiculi fierent (§. 231. cf. §. 156.), respondet Demosthenes §. 85.: quis est vestrum, qui putet coronatione mea Athenienses ceterorum Graecorum risum

(25) cf. Schaefer. l. c. II, 493 ann. 1. Ceterum de hac lege disseruerunt Boeckhius, l. c. II, pg. 79 sqq.; Dissenius l. c. pg. 268 sq.; H. Sauppius in epistola critica ad Godofr. Hermannum pg. 129 sqq.; Schaeferus, l. c. II, 490 sqq.; Westermannus in commentat. ad or. de cor. §. 102.

moturos esse? Se propter res gestas tali honore non indignum, certe non vituperandum esse (26).

Jam in iis quae sequuntur dicit Aeschines rogationem Ctesiphonteam judicibus non accipiendam esse neque Demosthenem corona donandum, ne leges contemni viderentur neve civitatis honor in summo discrimine versaretur (§§. 230–236, 241–246). Ad quae respondet Demosthenes sub finem exordii orationis (§. 8.). Sane, inquit, in hac causa gravissima honor et gloria civitatis agitur; nam si res a me gestae damnantur, damnatur etiam civitatis honor; atque alio loco (§§. 85. sqq.) ostendit antea saepius propter facta sua civibus probata sibi coronas decretas esse. Cujusmodi in verbis ne ii qui audiebant offenderent eaque aegre ferrent rati non decere in judicio se suaque facta ipsum magnis laudibus efferre, id quod actor cupiebat fieri — §. 241. cf. § 141. —, Demosthenes egregie dicit in exordio (§. 3.) de rebus a se gestis sibi esse dicendum, ita ut se ipsum laudare videatur; sed necessitatem id faciendi esse, invidiamque omnem in actorem regerendam, a quo hoc facere ipse coactus sit (27). Ceterum permulti sunt orationis de corona loci, unde intellegas quam prudenter in rebus enarrandis Demosthenes laudem sui evitet. — Verum, si placet, ad reliqua pergamus. Ad ea quae Aeschines de Solone dixerat (§. 257.) ejus umbram quasi excitans tanquam testem dignitatis et gloriae urbis, respondet Demosthenes (§. 6.), ut bene observavit primus Jacobsius, quem secuti sunt Dissenius, Westermannus, Schaeferus, alii (28).

Postremo in peroratione (§. 260.) Aeschines ut ita dicam pathetico modo terrae, solis, virtutis, quin prudentiae et disciplinae fidem invocat. Ad quae respondet Demosthenes (§. 127. sq.) verba illa convenire histrioni et homini arroganti, non ei qui oratorem se profiteatur.

Hac comparatione inter utramque orationem instituta

---

(26) cf. Aeschin. 3. §. 227, de qua infra dicemus.
(27) cf. Quinctilian. instit. orator. XI, 1, 22.
(28) Jacobsius, Dissenius, Westermannus ad l. c. Schaefer. III, 2, 75.

luculenter apparet in Aeschinea oratione fere nullum locum inesse, ad quem Demosthenes non respondeat. Hinc concluserit quispiam Aeschinem in edita oratione fere nihil mutasse. At rem longe aliter se habere nunc accuratius nobis est demonstrandum.

Solebant oratores orationes antequam dicerent primum meditari et componere, tum dicere, postremo emendare et retractare: quod cum ad omnis generis orationes tum ad accusatorias spectat. Namque et victum oratorem et victorem causa orata modo omittentes, modo adjicientes quaedam mutasse veri simile est. cf. Westermannus, de Aeschinis oratione adversus Ctesiphontem commentatio, Lips. 1833, pg. 15. Sed cum non exaratae orationes, sed retractatae ad nostram aetatem venerint, nequit affirmari, quae earum prima forma atque ratio fuerit, quaeque postea sint mutata, omissa, adjecta.

Attamen dicendum est haud pauca inesse in ea de qua agitur oratione, unde certiorem conjecturam capere possimus.

Ac primum quidem omisit Aeschines in oratione edita nonnulla, quae in judicio ipse dixerat. Qua de re, si placet, paucis exemplis allatis disseramus. Demosthenes — §. 87. usque ad paragraphum 95. cf. §. 71. — ostendit se suasore Athenienses Byzantiis a Philippo vexatis auxilium tulisse priorum injuriarum generose oblitos, sed de hac quoque re Aeschinem maligne dixisse conviciis gravissimis in Byzantios conjectis. Audiamus ipsum! „*Ἵνα τοίνυν καὶ τὰς βλασφημίας, ἃς κατὰ τῶν Εὐβοέων καὶ τῶν Βυζαντίων ἐποιήσατο, εἴ τι δυσχερὲς αὐτοῖς ἐπέπρακτο πρὸς ὑμᾶς ὑπομιμνήσκων, συκοφαντίας οὔσας ἐπιδείξω*“ *κ. τ. λ.* (§. 95). Adde paragraphum ducentesimam duodequadragesimam: „*εἰ δὲ λέγεις ἢ τὰ πρὸς τοὺς Θηβαίους δίκαια, Αἰσχίνη, ἢ τὰ πρὸς Βυζαντίους ἢ τὰ πρὸς Εὐβοέας*“ e. q. s. cf. §§. 230. 301. Quid, quod Aeschines ipse commemorat Byzantios in epilogo orationis (§. 256.) — verba haec sunt: „*εἰς τὴν ἀλαζονείαν ἀποβλέψαντες, ὅταν φῇ Βυζαντίους μὲν ἐκ τῶν χειρῶν πρεσβεύσας ἐξελέσθαι τοῦ Φιλίππου* — in epilogo, inquam, ubi eum nihil novi, nihil grave commemorasse,

sed res antea copiosius expositas paucis complexum esse mihi veri simile esse videtur? Unde si concludimus Aeschinem in argumenti tractatione uberius de Byzantiis dixisse, simul intellegimus ad hunc locum respondisse Demosthenem, non ad epilogi quem attulimus locum. Quae cum ita sint, nihil restat quam ut statuamus enarrationem rerum Byzantiarum in edita oratione ab Aeschine omissam esse. Nec de lacuna cogitari potest in oratione, quam omnibus partibus accuratissime distributam hodie in manibus habemus. At, inquies, quomodo explicari potest Aeschinem, qui foedera ab Atheniensibus cum Euboeensibus, Thebanis, Byzantiis, Demosthene suasore facta maxime vituperaverit, postea convicia in Euboeenses et Thebanos conjecta in orationem edendam inseruisse, omisisse calumnias de Byzantiis? Nimirum veritus est, ne istae calumniae, quas etiam ad socios pertinuisse res ipsa docet, Chios, Rhodios, alios, sibi crimini verterentur neve ingratus erga eos esse videretur, a quibus Athenis relictis benigne exceptus erat (29).

Porro huc pertinet Demosthenis locus §. 218: *ἵν' εἰδῆτε, ἡ ἐμὴ συνέχεια καὶ πλάνοι καὶ ταλαιπωρίαι καὶ τὰ πολλὰ ψηφίσματα, ἃ νῦν οὗτος διέσυρε, τί ἀπειργάσατο;*" Haec frustra quaeres apud Aeschinem. Contendit Demosthenes sua opera indefessa, suis itineribus, suis rogationibus permultis, quae Aeschines vituperaverit omnia, foedus Atheniensium et Thebanorum factum esse. Apud Aeschinem vero (§§. 142—145, §. 100 ad hanc rem non pertinet) tale quidquam non legitur, sed gravissime Demosthenes accusatur, quod foedus illud ad utilitatem Thebanorum, non Atheniensis civitatis fecerit. Certe Aeschines cum haberet orationem de illis rebus Demostheni maledixerat, sed defensione ejus audita in retractata oratione omisit ista, fortasse ratus argumenta adversarii magis etiam infringi, sua confirmari posse rebus enarratis ut videtur simpliciter quidem, sed re vera ita ut simplicitate sermonis mendacia gravissima tegerentur.

Tum Rauchensteinius in commentatione de tempore,

(29) cf. infra. Schäfer. l. c. III. 2, 77.

quo Aeschinis et Demosthenis orationes Ctesiphonteae habitae sint, Arov. 1835, pag. 5 alium locum affert, dico orationis Demosthenicae §§. 70 sqq., ubi plurimis verbis ostendit, non se, sed Philippum fuisse auctorem pacis Philocrateae rumpendae bellique commovendi. Verba Aeschinis §§. 82 sqq., quae ad hoc argumentum pertineant, perpauca esse contendit Westermannus et parum ad ea respicere Demosthenem, sed potius ad alias res. Quamquam ne ipse quidem huic rei multum videtur tribuisse, qui dicat: — „Quamquam quum haec rationibus quibusdam ductum consulto Demosthenem praeteriisse suspicari possis, de illo loco acriter contendere nolim" Aeschines enim, nisi fallor, de rebus illis a Demosthene enarratis accurate non dicit, quod nihil habuit, quo se amplius defenderet etiam in edita oratione. Confirmatur haec sententia simili loco, qui legitur apud Aeschinem (§. 80), ubi Phocensium res breviter tanguntur a Demosthene accuratius expositae. Nimirum Aeschines non amplius se defendere de illis rebus, non amplius reo probra objectare poterat.

Denique allato orationis Demosthenicae loco, quem legis §. 51 „*καὶ νῦν εἶπέ που λέγων· ὁ τὴν 'Αλεξάνδρου ξενίαν ὀνειδίζων ἐμοί*", Rauchensteinius: „nusquam", inquit, „tale quidquam Aeschines, etsi in oratione dixerit fere necesse est." Sed etiam id parvam veritatis speciem prae se fert. Quis enim, quaeso, negabit Demosthenem respondere ad haec Aeschinis verba (§. 66): *ὁ* — intellegendus Demosthenes — *τὴν ξενίαν ἐμοὶ προφέρων τὴν τοῦ 'Αλεξάνδρου*"? Nam cum ille verbo *ὀνειδίζων*, hic *προφέρων* utatur, et cum ita discrepantia quaedam exoriri videatur, tamen huic rei nihil propterea tribuendum est, quod Demosthenem res ab accusatore auditas, non singula ejus verba ad unum omnia recordari potuisse res ipsa docet.

Sed haec utut sunt, id negari nequit in oratione scripta omisisse Aeschinem nonnulla, quae ab eo in judicio dicta esse defensio Demosthenica aperte ostendit.

His expositis jam ad alteram quaestionem adgrediamur, quomodo explicandum sit in oratione Aeschinea quam in manibus habemus inesse haud pauca, ad quae Demosthenes

non respondeat. Atque ut rerum ordinem sequamur, primum disserendum est de exceptione legis Dionysiacae, qua de lege supra exposuimus. Neque enim defuerunt, qui Aeschinem illum locum cum ederet orationem, addidisse censerent. Velut Dissenius dicit (l. c. ad §. 120): „Videri potest Aeschines, quum in judicio diceret, omisisse totam exceptionem legis et postea demum, quum ederet orationem, reperta callida interpretatione de *ξενικοῖς στεφάνοις* hanc partem sic, ut legimus, elaborasse: quo posito intelligas, cur Demosthenes hic nihil respondeat de interpretatione ista, quam non audivisset?“ Contra dicendum est Aeschinem in judicio facilius „callidam interpretationem“ adhibuisse, quam totam exceptionem omisisse, Demosthenem autem has res consulto brevissime attigisse, quippe quibus causa sua infirmior esset, Aeschinis vel plurimum valeret. Quare verisimillimum est Aeschinem de his rebus uberius et copiosius dixisse non ignorantem „ad fundamenta defensionis labefactanda“ suam rationem esse maxime idoneam. Eadem de causa mihi quidem non probatur sententia Spengelii (l. c. pg. 61), qui totum de lege Dionysiaca locum (§§. 35—48) ab Aeschine postea adscriptum esse contendit, id quod bene refutavit Roemheldtius (l. c. pag. 35), imprimis quod nimia brevitas totius partis suspiciosa esset. Id tamen negari vix potest nonnulla leviora etiam in hac parte facile mutari potuisse, cum ederetur oratio. — Sequuntur loci qui leguntur §§. 61, 65, 73—75, ubi Aeschines audacter contendit Cersobleptem, Thraciae regem, quamquam populi Atheniensis socius atque amicus fuerit, tamen a Demosthene pace illa Philocratea exclusum et Philippo proditum esse. Verum in oratione Demosthenica frustra de hac re quaesivi, qui ne verbo quidem ad ista maledicta respondet: quamquam concedo Demosthenem cum falsae legationis Aeschinem accusaret prae ceteris ei crimini vertisse, quod Cersobleptes mora et cunctatione alterius ad Philippum missae legationis proditus sit (30), atque Aeschinem enixe studuisse hoc crimen refellere; neque vero concedo ad

(30) cf. Schäfer l. c. II. 227 sqq.

probra ista hic repetita atque aucta amplificataque Demosthenem nihil responsurum fuisse, si ista hac in causa audivisset. Porro etiam id veri simile est tot annis inter causas de falsa legatione et de corona oratas interjectis, vel brevissime Demostheni apud judices de hac re denuo dicendum fuisse, ne auditis adversarii argumentis ipse silentio consentire videretur. Apparet igitur de Cersoblepte in judicio iterum Aeschinem non dixisse, sed postea haec edendae orationi inseruisse.

Sequuntur alia. De Euboicis rebus, quarum enarrationem cum Demosthenica supra comparavimus, Aeschines (§§. 85—105, 237) copiose et abundanter dixerat: foedus Euboicum non Demosthenis opera factum esse, sed hunc hominem nequissimum se praebuisse a Callia Chalcidensi pecunia corruptum. Quibus cum verbis si responsionem Demosthenis comparaveris, statim videbis huic sufficere res Euboicas ut gestae erant simpliciter narrasse, nec totius de Callia loci contumeliosi ullam rationem haberi. Unde concludendum est narrationem Euboicarum rerum ab Aeschine cum ederet orationem amplificatam esse, praesertim cum res Byzantias ut supra vidimus omitteret, quae illis succedere debebant.

Venio ad societatem Thebanam, de qua hic pauca monuerim; quae quomodo facta sit et quanta gloria inde ad urbem redundaverit supra vidimus. Sic videntur quidem optime refelli actoris criminationes, sed cum Demosthenes ad manifesta ejus mendacia, quorum exemplum §. 148 legimus, non respondeat, aut operae pretium non ratus est, aut, quod rectius se habet, tale quidquam in judicio non audiverat.

Simili modo explicanda videtur paragraphus ducentesima vicesima altera. Agitur de lege trierarchica, quam ab Aeschine vituperatam, a Demosthene copiose defensam diximus. Sed maxime mireris hunc se non defendere a criminatione sexaginta quinque naves hac lege civitati ereptas esse. Sed quomodo ne uno quidem verbo hac de re loqui potest is, qui promisit omnes ad unam criminationes in se conjectas sese refutaturum esse (§. 56), qui re vera

argumenta adversarii vel minutissima — ut unum afferamus exemplum §. 162, ubi respondet ad verba Aeschinis quae leguntur §. 38 sq. — refutavit et prorsus rejecit? Nec magis consilio poterat tacere, alioquin consentire visus esset. Et quisquam dubitabit, quin Aeschinis verba de navibus civitati ereptis editae orationi inserta sint?

Age nunc ceteros quoque locos consideremus. Quae Aechines dicit §§. 223 sq. de Anaxino exploratore et §. 125 de Antiphonte et Pythone — hi enim quamquam non nominantur, tamen haud dubie intelleguntur — comparanda sunt cum Demosthenico loco quem habes §§. 132 sqq. His vero verbis responsionem ad accusatoris verba non contineri res indicat. Aeschines enim vix in judicio talia verba, talia exempla proferebat, quibus ipse omnium civium turpissimus non poterat non inveniri, quibusque quasi latus praebebat adversario. Scilicet istos benigne exceperat et quod gravissimum erat; cum iis contra rem publicam conjuraverat. Immo vero apparet Demosthenem nihil antiquius habuisse, quam ut illi tam gravem rem objiceret, atque illum audita oratione Demosthenica cum ederet orationem ita se purgare studuisse, ut inepte Demosthenis hospitium calumniaretur, sed rem ipsam caute callideque reticeret.

Dixerit quispiam hos quos attulimus locos extra dubitationem minime positos esse: nam in tanta rerum copia facile quaedam Demosthenem omisisse. Sed, ut docuimus, Demosthenes ipse dilucide promittit se omnes accusatoris criminationes refutaturum esse (§. 56. cf. §§. 17, 34) neque ulla exputari potest causa, cur promissis postea non steterit. Ac quod omnium est gravissimum, nihil ille respondet ad locum illum Aeschineum, qui est de quarto temporum spatio, quo Demosthenes rem publicam gerebat (§§. 159—167). Addas §§. 132 sq. Exponit actor, gravissimis calumniis ut solet prolatis, Demosthenem morte Philippi vehementi atque indecoro modo laetatum (31) et in Alexandrum graviter invectum dubitavisse legatum in

(31) cf. Aesch. §. 77 sq.

Macedoniam proficisci, atque in medio itinere re imperfecta domum rediisse (32). Nunc vero, inquit, is, quem nunquam cives deseruerunt prodit patriam et Alexandro turpiter blanditur: quare etiam ab eo tria tempora praetermissa sunt, quae ad Graecos ab imperio Macedonum liberandos Demostheni opportuna fuerunt (primum praetermisit ante bellum Persicum, alterum bello Persico orto, tertium seditione Agidis regis contra Antipatrum facta). Hanc rerum novissimarum narrationem non minus quam singulos locos eo spectantes, intellego paragraphos 132 sq. 165, ab Aeschine post causam actam retractatae orationi insertam esse primus suspicatus est Westermannus (l. c. cf. ejusdem quaestiones Demosthen. III., 73, 87), cui Rauchensteinius (l. c. pg. 6) suo jure assentitur. Liceat verba viri doctissimi hic adscribere: „Et confirmatur“, inquit, „ea suspicio hinc, quod Demosthenes ad illas res et ad permulta, quae in extrema orationis Aeschineae parte continentur eaque acerbissima convicia, omnino ne verbo quidem respondet. Et tamen non respondere Demosthenis et dignitati et causae quantum obfuerit, nemo est quin videat.“ Deinde Voemelius, in annalibus Heidelbergensibus, 1835, ubi libelli Westermanniani censuram agit, cogitat de lacuna statuenda, quod tamen nullo modo probari neque in oratione Aeschinea statui posse supra diximus. Porro si tacere ei videtur orator, quod convicia illa a causa sint aliena, ne hoc quidem recte se habet. Namque, ut compluribus locis ostendimus, Demosthenes etiam res ad causam non pertinentes illatasque „ἔξω τοῦ πράγματος“ silentio nunquam praetermisit. Tum quod Voemelius opinatur Demosthenem respondere §. 270 ad narrationem illam Aeschineam, hoc quoque rejiciendum est. Nam verbis illis orator demonstrare vult cladis Chaeronensis culpam malitiose adversarium in se quaerere. Tum Schaeferus l. c. III 2, pg. 77 sq. magno ingenii acumine hanc rem tractavit, qui dicat Demosthenem de quarto illo temporum spatio, quod constituit Aeschines, de industria tacuisse,

(32) Aesch. l. c. §§. 161, 167 extr.

ne de rebus tum gestis verba faciens cum Atheniensibus tum sibi vel maxime noceret neve hostibus suis tanquam ansam praeberet pacis rumpendae et ipsum exposcendi; praeterea eum respondere §. 232 ad verba Aeschinis quae leguntur §. 166. Verba viri doctissimi haec sunt: Was die Hauptsache ist, Demosthenes konnte sich ueber sein Bestreben den von Philipp dictierten Frieden abzuschuetteln, ueber seine Unternehmungen gegen Alexander nicht unverhohlen aeussern, ja wenn er es vor Gericht gethan haette, so lag Grund genug vor diesen Abschnitt seiner Rede bei der Herausgabe zu unterdruecken. Sollte er oeffentlich darlegen, in welcher Weise er ueber die persischen Hilfsgelder verfuegt haette? Das war frueher umgangen worden und konnte jetzt dem makedonischen Hofe als Vorwand dienen die Auslieferung des Demosthenes abermals zu fordern oder es musste doch andere Betheiligte compromittieren. Oder sollte er von seinem Antheile an dem lakedaemonischen Kriege und den damit zusammenhaengenden Bewegungen im noerdlichen Griechenland erzaehlen? Damit haette er nur seinen Feinden im hellenischen Bundesrathe, welche eben im Begriff waren über die Friedensbrecher Gericht zu halten (s. Aesch. 254, 5, 89 f.) Beweise in die Haende geliefert. Kurz ich bin ueberzeugt, wie dies auch Grote XII 390 sq. ausgesprochen hat, dass Demosthenes schwieg und dass die Athener sein Stillschweigen verstanden.“ At veri parum simile est Demosthenem, oratorum principem atque omnium maxime versatum in republica, non habuisse quomodo res illo tempore gestas tam apte exponeret, ut neque civibus noceret „tacenda locutus“, neque Alexandrum iratum haberet, ignorasse, inquam, quomodo calumnias ab accusatore de rebus novissimis sibi illatas prorsus rejiceret et irrita faceret. Quid, quod facile probare poterat etiam Alexandri temporibus se optime consuluisse civitati ac profuisse vel plurimum? Certe porro questus esset etiam has res, quas actor a causa alienas intulisset, sibi rejiciendas esse, si Aeschines de illis verba in judicio fecisset. Nam proferri poterat quidquid gestum erat, priusquam Aeschines libellum ad archontem

deferret, neque vero ratio haberi poterat temporis (sex annorum) inter accusationem et causam actam interjecti (33). Nec minus negamus secuti sententiam Westermannianam (orat.

(33) Litem de corona dilatam per sex annos actam esse Olympiadis CXII. anno tertio, i. e. fere mense Sextili anni 330. nunc quidem pervulgata est inter homines doctos sententia. Quem in modum cum jam Winiewskius in commentariis ad Dem. orat. de cor. pg. 282. sqq., Jacobsius, F. Rankius censuissent, Rauchensteinius accuratissime et maxime perspicue confutavit (l. c.) Westermanni sententiam, qui dictam esse causam contendisset (l. c.) quadriennio prius, anno tertio Olymp. CXI., i. e. anno 334, scriptam autem Aeschinis orationem anno tertio Ol. CXII., et suam ipse quasi stabilivit sententiam adhibitis „testimoniis externis“ et „internis rationibus“, quibus usus demonstravit orationes Ctesiphonteas anno tertio Ol. CXII. esse habitas. Sunt veterum scriptorum testimonia quaedam perspicua et certissima, Dionysii Halicarnassensis epist. ad Ammaeum pg. 746. (ed. Reiskius), Plutarchi vita Demosth. cap. 24., unde apparet annum illum, quo utraque oratio habita sit, esse annum tertium Ol. CXII. Praeterea huc pertinet testimonium Ciceronis (de optimo genere oratorum, cap. 7. §. 22.): „judicium factum est aliquot annis post, Alexandro jam Asiam tenente“, quae verba referantur necesse est ad annum 330., quo Darium maximis cladibus afflictum regnoque privatum a Besso necatum esse inter omnes constat, non de anno 334., quo Darius Asiae omni imperabat, quo tantum aberat ut ejus opes essent labefactatae, ut florere viderentur similes fonti qui nunquam potest exhauriri. Quid dicam temporis in Demosthenis quidem oratione indicia fere nulla, in Aeschinea certissima quaedam inveniri? Ne longus sim, affero primum Aesch. §. 132., de qua Rauchensteinius (l. c. pg. 32. sq.) rectissime judicat, deinde §§. 162—167. de bello Lacedaemonico, tum §. 242. de morte Alexandri regis Molossorum, postremo prae ceteris §. 252, de qua audiamus H. Sauppium, cum dicit apud Rauchensteinium, l. c. pg. 35 sq.: Ceterum unum moneo, quod Westermannum prorsus fugit: Aeschines §. 252. aperte respicit ad causam Leocrateam; quae cum acta sit Ol. CXII. 2. neque ulla exputari possit causa, cur ejus mentionem postea addiderit, consequitur orationem contra Ctesiphontem habitam esse post Ol. CXII. 2. medium.“ Conferas etiam quae Schaeferus, l. c. III. pg. 205. ann. 2. disseruit. — Rogatio autem Ctesiphontea lata est vere anni 336., cum Ctesiphon ferret, ut Demosthenes magnis quae dicunt Dionysiis coronaretur: quam rogationem si aestate tulisset, Panathenaeis coronatio erat facienda.

de cor. prooem. pg. 10) Demosthenem respondere loco a Schaefero allato (§. 232.) ad Aeschinis verba paragraphi 166., quippe quae etiam ad verba paragraphorum 72. et 82. sq. referri possint. Quamobrem necesse est statuamus hanc partem orationis a Demosthene non auditam atque ab Aeschine post causam actam scriptam esse. A justa igitur et copiosa novissimarum rerum tractatione se abstinuit uterque orator.

Quae cum ita sint, intellegimus aliquantum interesse inter orationem ab Aeschine habitam et scriptam. Namque hercule is cum multas res a Demosthene in judicio dictas conatus esset diluere et rejicere, postea cum ederet orationem hic illic inserendo auxit singulas quasdam orationis habitae partes, ut res a se gestas defenderet multisque ambagibus factis speciem veritatis aliquo modo sibi compararet, id quod iis quae attulimus exemplis satis demonstratur. Quamquam tenendum est hanc rem caute esse tractandam. Neque enim cum Westermanno faciendum est, qui paulo audacius contendat etiam §§. 201. sq. 205, 207, 210 insertas esse postea ab Aeschine, qui usui forensi hac in re nimis adversetur et quod Demosthenes ad locos illos ne verbo quidem respondeat. Cui quominus assentiamur, obstat exordium orationis Demosthenicae, ubi orator clare et aperte rogat judices, ut benigne audiatur et sibi concedatur orationem prout velit adornare (§. 1. sq. cf. ea, quae supra de hoc loco exposuimus). Quem in modum censuit etiam Rauchensteinius (l. c. pg. 4.). Nec Atticorum usui forensi adversari locum illum Aeschineum: *μηδεὶς καταλογιζέσθω, ὃς ἂν ἐπανερομένου Κτησιφῶντος, εἰ καλέσῃ Δημοσθένην, πρῶτος ἀναβοήσῃ· „κάλει, κάλει“* cet. aperte ostendere mihi videntur haecce verba Demosthenis: *οὐδεμίαν ἡμέραν ὑπεύθυνος εἶναί φημι· ἀκούεις, Αἰσχίνη;* e. q. s. Dem. §. 112., de quo loco Dissenius rectissime judicat: „Qui locus,“ inquit, „haud dubie jam tum affuit, cum haberetur in judicio ista oratio.“ Conferas etiam ea, quae adnotat Weidnerus ad Aesch. l. c. §. 202. Porro Aeschinis verba, quae §. 221. leguntur: *„ὑπὲρ δὲ τοῦ μηδέπω κεκρίσθαι ὑπ᾽ ἐμοῦ μηδὲ τῶν ἀδικημάτων τιμωρίαν ὑποσχεῖν*

ὅταν καταφεύγῃς ἐπὶ τοὺς τοιούτους λόγους, ἢ τοὺς ἀκούοντας ἐπιλήσμονας ὑπολαμβάνεις, ἢ σαυτὸν παραλογίζῃ.“ adjecta videntur Westermanno (l. c. pg. 21) et loco Demosthenis opposita, qui legitur in or. de cor. §. 279.; *„μηδενὸς δ᾽ ἀδικήματος πώποτε δημοσίου, προσθήσω δὲ μηδ᾽ ἰδίου, δίκην ἀξιώσαντα λαβεῖν παρ᾽ ἐμοῦ μήθ᾽ ὑπὲρ τῆς πόλεως μήθ᾽ ὑπὲρ αὑτοῦ* e. q. s. Contra Rauchensteinius (l. c.) recte disputat. „Profecto,“ inquit, „praesagire Aeschines poterat, fore, ut Demosthenes etiam illuc non sine magno fructu flecteret orationem, nunquam se ab adversario neque in privata neque in publica causa esse postulatum. Idque defensionis genus tam promptum fuit Demostheni, ut non solum §. 279, quem locum unum comparavit Westermannus, sed etiam §. 14. §. 213. eo genere uteretur.“ Praetermitto alios quos attulit Westermannus locos, ad quos respondisse Demosthenem supra ostendimus. Denique pauca de epilogo monuerim. Nam fere inde a paragrapho 246. orationis Aeschineae pleraque omnia non in judicio dicta mihi videntur, sed retractatae orationi addita. Quamquam enim illic calumniae gravissimae in adversarium conjiciuntur, tamen nihil Demosthenes ad ea respondet. Monentur cives, ne tam pravi hominis coronatione perniciosam periculosamque exempli imitationem in posterum prodant neve rei publicae contemtum ceterorum Graecorum adducant. Demosthenem enim pudoris expertem cum hostibus conspirare et a Persis pecunia corruptum esse (§§. 250, 257. cf. 259 et 238—240). Sed de his rebus frustra quaeres apud Demosthenem. Adde quod supra vidimus de rebus Persicis in judicio actorem propterea verba facere non potuisse, quod libellum ante bellum Persicum ad archontem delatum esse scimus, ita ut illae ne in epilogo quidem, nedum in rerum tractatione commemorari possent. Quid? tantis injuriis et probrosis maledictis affecisse cum populum Atheniensem tum judices (§. 251.) eum oratorem, cujus vel maxime intererat civium favorem et benevolentiam colligere et sibi conciliare? Qua de causa etiam paragraphos 189 – 198 maxima quidem ex parte (34),

(34) cf. supra.

imprimis paragraphum 193. eamque quae sequitur ab Aeschine edendae orationi additas esse pro certo affirmes.

Ad finem perductis his spatium non exiguum jam permensi sumus, sed multum viae protinus patet. Nam quod duplici consilio orationem retractatam esse diximus, hoc cum in eos quos attulimus locos cadit, tum maxime in duos locos, de quibus jam nostrum est copiosius disputare.

Ordiundum est nobis a figura illa *ὑποφορᾶς* sive subjectionis (cf. Westermann. l. c. pg. 15 et Weidner. ad Aeschin. 3 §. 13), qua qui utuntur argumenta adversarii praeoccupare conantur et irrita facere. Hac figura, cujus exempla permulta attulit Westermannus (l. c. pg. 16 ann. 26), cum oratores antiqui omnes utebantur tum saepissime Aeschines in oratione Ctesiphontea. Pertinent autem huc primum exempla ex prima parte orationis (§§. 9—31) desumpta, dico §§. 13 sqq. §§. 17—23 init., 28 sqq., quibus locis adversariorum argumenta de rationibus nondum reddidis ante diluere conatur. Sequuntur alia, ex altera parte, §§. 32—48, desumpta, §. 35 sqq. §. 48, ubi argumenta adversariorum conatur confutare, quibus coronatio in theatro defendi posse videatur. Transeamus ad tertiam partem (§§. 49—167). Quae dicuntur §§. 54—57. de rerum a Demosthene gestarum partitione, ea quoque ex consilio Demosthenis manare subjicit Aeschines usus figura subjectionis, qua de arte haud male judicat scholiasta (Oratores Attici, edd. Baiterus et Sauppius), qui dicat: *χαριέντως ὁ Αἰσχίνης, ὅτι διαιρῶν τὴν κατηγορίαν εἰς τοὺς τέσσαρας καιροὺς οὐχ ὡς αὐτὸς ταύτην ποιούμενος τὴν διαίρεσιν τῆς κατηγορίας ποιεῖται τὸν λόγον, ἀλλ' ὡς αὐτοῦ Δημοσθένους χρωμένου ταύτῃ τῇ τῶν καιρῶν διαιρέσει, ἵνα ὁ λόγος αὐτῷ ἀνεπίφθονος γένηται.* Adde quod supra vidimus, quartum temporum spatium omisisse Demosthenem, Aeschinem edendae orationi contumeliose inseruisse. Quae cum ita sint, simul ad irritum cadit sententia Westermanni, qui dicat: „Tale quid Demosthenem ante dixisse credibile et rei consentaneum est“ (l. c. pg. 17).

Accumulantur vero subjectiones cum in eo loco, quem orationi retractatae insertum vidimus, dico §§. 159—167.—

cfr. §§. 160, 164, 166, 167 — tum in extrema parte orationis atque in epilogo, §§. 189, 215, 217, 225, 228, 236, 237, 241, 256, 257, et sic quidem, non ut res figura subjectionis illatas ante causam dictam invenisse et excogitasse Aeschinem arbitreris, sed ut ex audita adversarii oratione surripuisse et suae retractatae orationi adjecisse appareat. Hoc luce clarius ostendunt paragraphi 215—217, imprimis verba illa: *„καὶ κατὰ τῆσδε τῆς κρίσεως εὐθὺς ἀρχομένου τοῦ λόγου φέρει τινὰ αἰτίαν.“* Nam quid judices, quid populum Atheniensem censuisse putas, si orator ex adversarii oratione desumpsisset et ipse locum indicasset? Nec quod gravissimum est, in tota Demosthenis oratione, nedum in exordio tale quidquam invenitur. Nec minus manifesto idem declarant ea, quae de Philammone dicit Aeschines (§. 189) et de medico similitudo repetita (§. 225). Verba haec sunt: *καίτοι πυνθάνομαί γ' αὐτὸν μέλλειν λέγειν, ὡς οὐ δίκαια ποιῶ παραβάλλων αὐτῷ τὰ τῶν προγόνων ἔργα· οὐδὲ γὰρ Φιλάμμονά φησι τὸν πύκτην Ὀλυμπίασι στεφανωθῆναι νικήσαντα Γλαῦκον τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον πύκτην, ἀλλὰ τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἀγωνιστάς, κ. τ. λ.* §. 189 et §. 225 *„ἔπειτα ἐπερωτᾶν με, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι, μέλλει, τίς ἂν εἴη τοιοῦτος ἰατρός, ὅστις τῷ νοσοῦντι μεταξὺ μὲν ἀσθενοῦντι μηδὲν συμβουλεύοι, τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ ἐλθὼν εἰς τὰ ἔνατα διεξίοι πρὸς τοὺς οἰκείους, ἃ ἐπιτηδεύσας ὑγιὴς ἂν ἐγένετο.“* Quibus similitudinibus re vera Demosthenes usus est §. 319 et §. 243. Etiamsi concedimus cum sermonibus utrimque publice et privatim de lite habitis et adversario perlatis (35) tum ex libellis accusatoriis (36) ad archontem delatis nonnulla, quae ad suam rem utrique apta esse viderentur, hauriri potuisse, tamen veri parum simile est Demosthenem res tam singulares ante causam actam commemorasse aut Aeschinem talia ab adversario exspectare potuisse. Eadem de causa paragraphum 84: *„ναί, ἀλλὰ χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν, ὡς αὐτός φησι, τὴν χώραν ἡμῶν ἐτείχισε, τῇ τῶν Εὐβοέων καὶ Θηβαίων συμμαχίᾳ“* et §§. 228 sq.: *„ἀφο-*

---

(35) cf. Westerm., l. c. pg. 17 et prooem. or. de cor. pg. 11.
(36) cf. Digest. 48, 5, 17. §. 1; 48, 5, 29; §. 8, aliis locis.

μοιοῖ γάρ μου τὴν φύσιν ταῖς Σειρῆσιν, (ὡς ἔοικε) (37)· καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνων οὐ κηλεῖσθαί φησι τοὺς ἀκροωμένους, ἀλλ' ἀπόλλυσθαι, διόπερ οὐκ εὐδοκιμεῖν τὴν τῶν Σειρήνων μουσικήν“ e. q. s. retractatae orationi additas esse puto. Nam etsi hi quos diximus loci non leguntur in Demosthenis oratione, quae quidem cum Aeschinea commune habet quod et ipsa retractata est — edita non multo post causam dictam videtur fervente admiratione Graeciae universae, aliis rebus additis, aliis omissis, certe permultis rebus accuratius elaboratis limatisque —, tamen verba illa a Demosthene audivisse Aeschinem pro certo affirmes. At, inquies, cur Demosthenes hos locos omisit? Haud scio an omiserit alterum, quod ei minus apte ad rem dictus esse videbatur, alterum quod nimis acerbe de adversarii eloquentia ac vi dicendi, veritus ne eloquentia adversarii tali modo vituperata ipsam eloquentiam quasi offenderet. Qua de causa etiam id, de quo Westermannus (l. c. pg. 22 et quaest. Dem. III 83) cogitavit, ita dixisse in oratiuncula sua Ctesiphontem, parvam veritatis speciem prae se fert. Quis enim, quaeso, Ctesiphontem oratiunculam ejusmodi similitudinibus adornasse putabit, nec potius ex rebus ipsis concludet illum vel brevissime dixisse ad rogationem suam quasi stabiliendam et defensionem ipsam reliquisse Demostheni? Addiderim clare Aeschinem illam similitudinem Demostheni tribuere. Quem in modum censuit etiam Schaeferus (l. c. III pg. 79). Quae cum ita sint, similitudines quas diximus omnes ab Aeschine, ut videtur orationis adornandae causa, additae sunt. Quin vix me contineo, quin totum qui legitur §§. 223—229. locum ab Aeschine orationi insertam esse contendam. De parte paragraphi 222. et de paragraphis 223 sq., 225, 228. supra diversis locis disseruimus, ac quae interposita sunt tam arcte cum ceteris rebus quas addidit Aeschines cohaerent, ut alterum sine altero esse non possit. Ac tantum abest, ut §. 227. obstet huic sententiae ratione habita Demosthenici loci qui legitur §. 85, ut hic pertineat ad paragraphum 231. orationis Aeschineae.

At dixerit quispiam Demosthenem quoque lite dirempta

---

(37) Verba ὡς ἔοικε certe glossema sunt.

suam orationem retractasse. Sane, ut alio loco jam diximus, addidit quaedam, alia omisit, permulta accuratius elaboravit, sed Aeschinem ad retractatam Demosthenis orationem respondisse negandum est. Constat enim inter omnes Aeschinem, cum quinta pars suffragiorum ei non contigisset, hinc damnatum, cum mille drachmas pendere deberet et facultatem similes huic accusationes instituendi amisisset (38), non cunctatum cessisse Athenis et in Asiam transiisse. Quod cum per se probari possit (39) tum veterum auctorum perspicuis quibusdam et luculentissimis locis comprobatur, Plutarchi vit. Demosth. cap. 24, auctoris vitae decem oratorum pg. 486 C, Philostrati vit. sophist. I, 18, 2., aliorum testimonia (40). Nimirum causa perdita propter ignominiam judicii cessit Athenis ac de summo dignitatis fastigio dejectus ac contemptus a civibus sua sponte in Asiam transiit exulatum, et illuc quidem prius transiit, quam Demosthenes suam orationem retractare retractatamque edere posset. Nam profecto Aeschines si Demosthenis recognitam orationem legisset, permulta silentio non praetermisisset, quae in edita Demosthenis oratione leguntur, ut de rebus Phocensium, de legatione ad Philippum missa altera, de Antiphonte exploratore. Retractavit autem in Asia orationem cum causae perditae doloris lenimentum et solacium, tum artis oratoriae egregium monumentum, quo memoriam suam posteris saeculis servaret. Enimvero Demosthenes quoque retractatam adversarii orationem videtur non cognovisse. Namque hercule et ipse nonnulla mutasset, si ad scriptam, non habitam orationem adversarii respondisset.

---

(38) v. Boeckh. de oecon. civ. Ath. I pg. 406. Meier. et Schoemannum de judiciis Atticorum, pg. 734 sqq.

(39) Unus Westermannus (l. c. pg. 25 sq.) hanc sententiam rejici vult, sed repugnant illi veterum auctorum quae afferemus testemonia neque ex locis ab eo ad suam sententiam comprobandam allatis, dico §. 164. et §. 165, tale quidquam posse concludi res ipsa docet, denique repugnant temporum rationes, ut supra vidimus.

(40) cf. Schaefer. l. c. III 265. sq.

Postremo ut orationem retractasse Aeschinem contendamus, etiam narratiuncula quadam commovemur, de qua paucis monuerim.

Dicitur Aeschines Rhodi quo Asia relicta se contulit, publice orationem suam recitasse, mirantibusque cunctis eum tali oratione habita inferiorem e judicio discessisse, locutus esse: quanto magis admiraremini, si audissetis ipsum (i. e. Demosthenem)? Cui narratiunculae a veteribus scriptoribus traditae — auctor vitae decem oratorum pg. 480 D. Philostratus, vit. soph. I, 18, 4. Photii biblioth. 61, 20. Scholia in Aeschinem, l. c. et apud Dindorfium, Scholia Graeca in Aeschin et Isocr. pg. 6.: (Rhodi) *ἀναγιγνώσκων δὲ τὸν λόγον τὸν κατὰ Κτησιφῶντος, ὃν εἶπε κατὰ τοῦ Δημοσθένους, καὶ θαυμαζόμενος σφόδρα παρ' αὐτῶν ἐπὶ τούτῳ καὶ ἐρωτώμενος παρ' αὐτῶν, πῶς οὖν ἐπὶ τοιούτῳ λόγῳ ἥττησαι; ἀπεκρίνατο· θαυμάζετε πῶς ἥττημαι, καθὸ οὐκ ἠκούσατε ὑμεῖς τοῦ θηρίου ἐκείνου;*" utramque orationem, et suam et Demosthenicam, Rhodiis recitasse Aeschinem Romani scriptores referunt (cf. Westermann. l. c. pg. 22. ann. 37. et quaest. Dem. III 84 ann.) — cui rei quamquam Schaefero (l. c. pg. 265) concedimus non multum esse tribuendum, tamen inde jure nostro concludere possumus Aeschinem causa perdita orationem recognovisse recognitamque Rhodiis recitasse. Nam Aeschinem utramque orationem Rhodiis recitasse non traditum est nisi a scriptoribus posteriorum temporum, neque id verisimile mihi esse videtur propterea quod Rhodii audita Demosthenis quoque oratione et comparatione inter utramque facta non poterant non judicare hunc si non superiorem quam Aeschinem, at certe huic non imparem esse arte dicendi. Sed Aeschines, ut erat animus ejus inimicitiis in adversarium incensus, quo erat ingenio et moribus — eadem de causa puto ea quae attulimus verba: quanto magis admiraremini e. q. s. ab Aeschine non dicta esse — tale periculum non subiit nec quasi in suum sanguinem saevivit. Quod ut fecerit tantum abest, ut verisimillimum esse videatur eum nihil nisi suam orationem recitasse. Recitavit autem Rhodiis eam non talem, qualem habuerat, sed re-

cognovit et accuratissime elaboravit et audita adversarii oratione hic illic mutavit, denique in eam formam redegit, ut ante omnia Rhodiis summam admirationem sui injiceret ac simul sibi quasi viam aperiret ad ludum illum dicendi instituendum, cui postea praefuisse fertur.

His expositis demonstrasse mihi videor Aeschinem orationem contra Ctesiphontem audita et cognita Demosthenis oratione pro Ctesiphonte retractasse Enimvero Aeschines, nec minus Demosthenes, non talem edidit orationem, qualem habuerat, sed nonnulla contraxit aut omisit, alia amplificavit aut addidit, sic tamen, ut edita a dicta oratione haud multum discreparet. At fieri non potest, ut ultra hos fines progrediamur ac demonstremus, quando unum quidque prolatum sit, utrum in dicta an in scripta oratione, quod ut ostenderetur opus esset „ingenio paene divino". Nam singulari arte Aeschines omnia ita conjunxit, ut oratio omnibus partibus accurate distributa et perfecta sit, utque undarum instar modo lento, modo rapido cursu fluentium alterum sequi alterum et omnia bene connexa esse videantur. Sed, ut docuimus, loci quidam in oratione insunt, unde causa dicta eam retractatam esse pro certo affirmes. Aeschines cum a judicii legibus liber se applicasset ad edendam orationem, qua vitam a perpetua infamia et ignominia defenderet simulque artis dicendi „monumentum exigeret aere perennius", ut verbis Quinti Horatii poëtae utar, orationem habitam retractavit causa perorata, prout libebat omittens quaedam, alia ex Demosthenica oratione desumpta addens, criminationes adversarii rejiciens omniaque in eam formam redigens, ut innocens a judicibus damnatus esse videretur.